

NUMMUS AVGVRALIS

CAROLI V. IMPE: CVSVS SVB VL

timam expeditionem Gallicanam. Anno
Christi 1644.



Llustriſſima victoria erat, quâ Gallus per Franciſcum Anguineum Vindocinenſis ducis fratrem, Alpinarum gentium Proregem, potitus fuerat, Carigniano ſuam in poteſtatem redacto. Eâ nunciatâ clade cum Cæſarem multi putarent, non recuſaturum actionem pacis, obſirmatè ipſe bellum parat: cumque Regem Franciæ in comitijs Spiræ celebratis, magnâ contentione hoſtem imperij pronunciari curaffet, collectis ingentibus exercitibus in Gal-

liam irrupit. Lucemburgum militibus in præſidio relictis fame laborantibus deditione primùm recipit. Hinc tranſgreſſus in Campaniam Ligniacum in convalle montibus intercluſum expugnat: Sandeſirium oppugnat, immiſſo milite: ſed deſideratis circiter quingentis cum oppidani fortiffimè ſeſe defenderent, nihil agit. Secundo demum menſe cum & Landræus, ruinâ domus oppreſſus, interiſſet, & pulvis tormentarius deeſſet, deditione capitur. Eâ durante obſidione Renatus Auraicæ Princeps, tormento percuffus, altero poſt die, cum Wilhelmi Naſſovij filium, patruelem ſuum feciſſet hæredem, vitam finit, non ſine mærore Cæſaris. Capto Sandeſirio Cæſar pergit, & Catalauno relicto (quod eſt oppidum Campaniæ) caſtra ponit ad Matronam; cujus ad fluminis alteram ripam excubabant aliquot equitum Gallorum cohortes. Ibi Wilhelmus Fürſtenburgius, qui Galliæ ſitum & aditus omnes nouiſſet, uno tantum ſervulo comitatus, de nocte procedit è caſtris, ut, quo loco flumen vado tranſiri poſſet, & exercitus traduci, cognosceret. Vbi iam ductore quodam homine ruſtico, vadum reperiſſet, & in alteram ripam evaſiſſet, interceptus ab equitibus Gallis Luteriam pertrahitur. Res ea Cæſari omnino præter expectationem accidit, & ſuſpenſum aliquandiu tenuit. Galliæ Rex quod Helvetij nondum advenerant, prælium declinabat: & Cæſar promotis caſtris iuxta flumen Matronam progreditur. Eſt ijs locis oppi-